Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in presenti his bonis sancta ecclesia cottidie ex
ercetur. ad socrum suam i. ecclesiam que
in celis est tota mente et intentione reu
titur quemadmodum subinfert. Quos por
tans reuersa est in ciuitatem et ostendit so
crui sue, insuper protulit et dedit ei reliqui
as cibi sui quo saturata fuerat.
Tunc quippe in ciuitatem ad socrum
suam reuertitur, quando tota fide spe et
dilectione illuc conuertitur. ubi se
quandoque uenturam sperat, et ostendit
socrui sue ecclesie, scilicet que in celis est.
bona incomparabilia que largitus est ei
deus. insuper protulit et dedit ei de reliquiis
cibi sui quo saturata fuerat. Per reliqui
as ciborum sacietas eterne uite figuratur,
que quandoque omnibus pariter electis est
donatur. quas etiam reliquias et p
post resurrectionem dominus discipulis suis dedit.
Illud namque eterne beatitudinis conuiuium.
quo omnes electi in futuro satiabuntur.
simile quodammodo est simbolo. quod homines
in hac uita sibi faciunt. ad quod diuersi di
uersas ciborum species deferunt. Ad regnum
quippe celorum diuersi diuersorum meritorum insig
nia cottidie transmittunt. que adiunc
ta antiquorum meritis sanctorum quasi unum eter
ne sacietatis simbolum efficiunt. ad
quod cum omnes predestinati ad uitam quan
doque peruenerint. singula singulorum merita.
omnibus erunt communia. quia per ar
dentissimam caritatem quicquid in se quisque non ha
bebit in altero gaudebit. Vel sic. Cibus noster cor
pus et sanguis est christi. quo dum sati
antur fideles. reliquie quodammodo fieri
merentur ipsi. pertinentes ad consortium
et premium precedentium sanctorum. Dixitque ei
socrus. Ubi hodie collegisti et ubi fecisti
opus.

Hodie istud perdurat ab initio usque in finem
seculi. quod sepe in scriptura pro presenti tempo
re ponitur. Conletatur ergo et interrogat so
crus. ecclesia uidelicet illa beatarum animarum.
cum christo iam regnantium. ubi presens
ecclesia donec dicitur hodie spicas collegerit.
et ubi opus suum fecerit. Ac si dicat. Ubi
hodie collegisti auxilio spiritus sancti. direc
tione cordis. et ubi fecisti opus. per quod ta
les fructus protulisti. Sit benedictus qui
misertus est tui. Sit nomen domini bene
dictum a seculo et usque in seculum. qui te per
misericordiam suam creauit. te redemit. teque sal
uauit. Cui interroganti et sciscitanti in
dicauit ei apud quem operata esset. et nomen
dixit uiri quod booz uocaretur. Cui interro
ganti per patriarchas. sciscitanti per prophetas.
indicauit ei per apostolos. apud quem operata
esset. scilicet apud eum qui dixit. Sine me
nichil potestis facere. et nomen dixit uiri quod
booz uocaretur. scilicet ille ex quo omnia
precederent. per quem omnia subsisterent. in quo
omnia uiuerent. de quo per psalmistam
dicitur. In deo faciemus uirtutem.
Cui respondit noemi. Benedictus
sit a domino. quoniam eandem gratiam
quam prebuerat uiuis. seruauit et mor
tuis. Noemi etenim pulchra scilicet
illa ecclesia in celis. benedicit et collau
dat dominum de ineffabilibus bonis que pre
senti exhibet ecclesie. quo eandem gratiam
quam prebuerat uiuis. i. angelis suis. siue
quibusque innocentibus. eandem seruauit et
mortuis. i. peccatoribus et penitentibus.
Tanta enim et tam supereminens est mag
nitudo bonitatis eius. ut eandem gratiam et
beatitudinem. quam angelis suis prebet et
innocentibus. eandem conseruet et mortuis.